



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Baetica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66514](#)

# PROVINCIA BAETICA.



Abet hęc Provincia socios quadringentos quinquaginta sex, diuisos in Domicilia quatuordecim. Hispali in Professus noue supra quinquaginta, in Scholariibus septem & sexaginta. In Collegio Cordubensi duo de septuaginta. in Montellano tres & sexaginta. in Granatensi sex & quinquaginta. in Triguerosi quatuor, & viginti. in Baetano, & Malacitano vicenibini. in Gaditanō viginti, in Marzenensi septendecim, in Terensi quindecim. Ezzizæ undecim. Caçorlæ septem. Vbedę quinque. hę tres postrema sunt Residentia. Ad literas octo, ad functiones domesticas duplo plures admisimus. Vita functi decem; inter quos Michael Regius, tum pietate, tum amore in Societatem insignis. decennium cum lacrymis institit, ut admitteretur, non fractus repulsis, non aduersante voluntate omnium. dicebat statutum esse à Deo, ut cunctis reluctantibus præter omnium spem sibi importunitas aditum patesceret in Societatem, quod & fecit.

An-

## Auxilia proximorum.

**C**hristiana catechesis ubiq; ex voto pro-  
cedit. Hispali initur agmen interdum ca-  
pitum amplius sexcentorum, honestissimi cu-  
iusque ordinis, qui summam fidei, ceteraque  
religionis Christianæ precepta tanta pietate  
decentant; ut eo spectaculo, & mirentur, &  
excitentur ceteri ciues.

Palearia sunt ad urbem secundum Betim,  
in qua miseri homines etiam tecti inopes cu-  
bitum eunt. ex ijs plurimi defecti viribus, cu  
prodire neque ad stipem corrogandam possint,  
viventes sunt esca vermium, nulla victus, nul-  
la salutis, nulla sacrorum ope, more bestiarū,  
intereunt. hæc nostri frequenter obeunt. cum  
ibi saepius offenderint non paucos famæ, sitiq;  
enectos, squallore obfitos, odore tetrorimos, in-  
terdum putrescentes moribundos, & multe  
sanie manantes, ut ad eorum conspectum om-  
nes per horrescant, hosqua inter manus, qua  
sublatos in humeros, in publica valitudinari  
deportarunt.

Viri nobiles Cordubæ, dum de more urbem  
obequitant, forum prætereunt, in quo concio-  
nabatur unus è nostris. consistit alter, atque  
Deo ita prouidente non retrahitur à comite. A  
objiciente nimiam sanctimoniam, leges aulicas,  
incitante equum; dumque attentius excipi-

L 2 auri-

auribus concionem vniuersam, Deum totis  
medullis imbibit: inde recta iter ad Nostros  
arripit, manantibus lacrymis se ad pedes ab-  
iicit sacerdotis, qui primus occurrit, ritam cor-  
rigit, neque ita multo post in seueriore disci-  
plina monachum induit. Sedatae inimicitiae  
multæ inter viros primarios odij inueteratæ  
implacabilibus. eæ nobiles. Malacæ inter  
Prætoris filium, virumque principem. Cor-  
dubæ inter dynastam, & Prætorem, qui abi-  
bat è magistratu. malum irrigatum mutuis  
vulneribus, & sanguine virorum principum  
multas tulisset cædes, nisi mature compressu  
asset à nostris. Hispali ad matrimonium ritè  
obeundum inducti nonnulli. Duo viri præci-  
pui, qui ea spe puellis nobilibus pudicitia flo-  
rem ademerant. Alius, qui viginti annos in  
pellicatu vixerat.

A Terensibus duo ab Anglicana labe ad ec-  
clesię Romanę puritatem adducti.

Hi erepti à peccati catenis: Illi à mudi vin-  
culis translati ad Christi compedes, aut po-  
tius in libertatem filiorum Dei. Ex Hispalen-  
si Collegio in nostram tres, in alias familias  
circiter septuaginta ex Cordubensi quinq; in  
nostram, in alias decem. Ex Granatensi sex, &  
Terensi duo in Societatem. Ex Montellano  
etio in alias.

Carceres

## Carceres Triremes.

**E**X omnibus prope nostris Collegijs profecti ad carceres captiuorum leuaueremiseriam, solatio, consilio, eleemosynis, spe. Cordubæ sacerdos noster ægros offendit, quibus erat pro lecto nudum solum, omnia deerant adiumenta, vel corporis vel animi. iacebat cadaver, cui viuenti sacramenta, mortuo sepultura deerat: re curam magistratu communicata valetudinarium intra cancelllos instituit com modo pari animorum, atque corporum.

Vbiique prosecuti, eos quoç carnifex agebat ad patibulum. multi adiuti, qui desperata viæ mortalijs vsura spernebant æternam. inter hos Hispali quidam nobilis facinoribus ita fetici erat ingenio, ut pro nugis haberet laqueū, ardentesque forcipes, quibus erat excrucianus, infernos vero cruciatus, qui mortem consequuntur, haberet omnino præridiculis. eum Sacerdos è nostris ita mutauit; ut ali quando productus ante iudicem. ego vero, dixerit, quiddam habeo, quod summi beneficij loco vehementer efflagitem, & homini hoc statu, hoc tempore non videatur denegandū. tum iudex, exposce, quod velis, si per me litebit impetrabis, hic ille erumpentibus vberrime lacrymis. hoc vnum, vt ardentijs melacerare forcipe iubeas, non tam vt fugiam cruciatus

L 3 ater-

eternos, quos non audeo ducere commissis etoribus pares, quād ut Dei gratiam prome-  
tear, & meum corpus, quo usque adeo Deum  
offendi, Deo persoluat aliquid, & minus ani-  
mum in extremo die Iudicij erubescat. hæc ita  
protulit; ut appareret non eum fractum timo-  
re mortis imminentis, sed illustratum à Deo,  
diuino sensu magnum illum ardorem animi  
conuerisse ad cœlestia, ut lacrymas extorse-  
rit omnibus quotquot aderant tantam muta-  
tionem nō sine magna Dei laude admiratibus.

A Malacitanis nauata opera tritemi-  
bus, quo uno loco omnia opera misericordie  
exercenda reperius in desertum, ac plane mi-  
serandum genus hominum. nauata à Gaditanis,  
cum eo classis appulit vehementer affli-  
cta, multorum ægris corporibus, plurimorum  
animis. nauata à Terensibus spatio quinque  
mensium, à quibus etiam curatum est, ut dimit-  
terentur ij, qui per fraudem detinebantur con-  
tra iustitiam :

### Scholæ, Missiones.

**S**cholæ procedunt in dies. Marzenæ, quod  
non caperent auditores, laxanda fuerunt  
tum publico ære, tum eleemosynis priuatorum  
hominum. Hispalis hoc anno Moralia, Gra-  
cas, atque Hebræas litteras instituit. Corduba  
numerat octingētos, certas pietas auditorum

CHAB

euim sedulitate præceptorum, nā præter communia officia charitatis in pauperes præter consuetas corporis afflictiones, toto prope an no trinis diebus headomadæ cum alijs ciuibus honeste conditionis voluntaria flagella ad cor pus edemandum subeunt.

Excusum in varia loca à proximis domi-  
cilijs. ab Hispalensibus Professis in pagos vi-  
cinos. Triguri in agrum Ardeualensem. mon-  
tosa regio, atque sylvestris oppida habet ra-  
ris aspersa domicilijs, habitatores plane bar-  
baros: id fecit, ut vehementer, & cum fructu  
laboratum sit in eis ad humanitatem, & pie-  
tatem erudiendis.

Corduba, Motella, Baeza, Cathazorla in vi-  
cina oppida, Fœdum parenti crimen oblati sibi  
per fraudem ritij, iæca furore filia, delato no-  
mine ad iudicem affinxit: illius dignitatem in  
certum dedecus, caput in summum periculum  
adduxerat. nostri Baezani eam ita oratione  
permouerunt, ut reuocauerit accusationem,  
seque afficti mendacij ream prodiderit. Idem  
a Mahomethe ad Baptismū, & à pellicatu ad  
verum matrimonium adduxerunt fæminas  
duas, quæ oriundæ à Mauris gerebant chri-  
stianam tantum speciem, ac nomen. A Ma-  
lacitanis itum ad urbem Marbellam, & ad  
Melillam arcem, quæ ad mare contra Mau-  
ritiam sita est: annos quatuordecim diuina  
verbocaruerant, quare ex maurorum consue-

L 4 studine,

tudine; familiaritate, habitatione prope degenerauerant in ethnicos. hinc satis patet, quam multæ ijs utilitatem allatæ, quanci pro ijs suscepti labores. non tempus necessariæ quieti, non refectioni concessum: diu, noctuque ministratum quicquid pertinet ad Ecclesiæ & Dei beneficio ipsis frequentibus percupidis; & quasi aridum solium quicquid inmitteretur dinini liquoris aude imbibentibus, que sunt effecta eo videntur magis admirabilia, quo illi egrediores, & ab omni genere viciorum extrahendi, informandique fuerunt ipsis primis fideli nostræ præceptis. illud certe non est omnino prætereundum. Mauri sex additi Christo; inter hos puella vix annorum tredecim in se. xii, & aetate imbecilliore fuit illustrior. recognita parentes, qui dederat Prefecto obsidem, eo celeriter nati consensa aduolauerunt. omnes artes adhibitæ, blanditiæ, promissa, munera, minæ, lacrimæ, squallor, eiulatus. quæ instantare ad permouendum animum excogitare poterat parentum amor additæ rationes, argumenta, persuasiones, secum enim ob id ipsū adduxerant Maurum legis ac dissuadendi peritum ex ijs, quos Caciques vocant. nihil offerunt, nam præ se tulit constantiam verè christianam, ijsque fortissimè dimissis, tantum quare alienis, vel intognitis, christiana sacra suscepit.

Elec-

## Eleemosynæ factæ Societati.

**D**omesticis Professorum v̄sibus præter certas eleemosynas partim donati, partim legati aurei mille ducenti. Bona, quibus sacrū eorundem instrumentum auctū est aureis quin gentis æstimes; quibus Malecitanum sexcentis, quibus Cordubense mille ducentis. Iūs præterea dati trecenti in Bibliothecam. Montellæ quidam quinque aureorum millia extruendo Collegio spopondit. Baezæ, cum transferendū atque ædificandum sit Collegium in area, quā loco illustriore, atque frequentiore coemimus, ciuitas nullo prorsus abniente, quod admirabile est in tanta multitudine ciuitum, nobis viā publicam transuersam, & magnam muri continētis partem liberalissime concessit. Ezizæ quoque ad inchoandam scholarum fabricam Senatus elargitus est aureos octingentos. Censibus annuis additi aurei trecenteni, quos confecimus ex mille, qui ad nos testamento hominis athici venerunt, & ex fructu vectigalium agrorum, quos nobis in quinquennium pro rogauit ciuitas.

## Anglicanum Collegium.

**V**erque virorum principum ordo ecclasticus, & secularis, quem appellant, amplexus est pro viribus Collegium Anglicanum

canum, & sua spōte, & propter litteras, quibus illud Rex vehementer singulis, & vniuersis commendauerat. Sæcularis Senatus ædes trecentenis aureis conduxit, viros quatuor primarios designauit, qui ad eleemosynas prœ eo cogendas urbem vniuersam obeant, & singulos in propria tecta ciues adeant. Capituli mille quingentos attribuit: satisque constat opus esse vehementer probatum eque summis, atque infimis. Diem, qui diuino Thomæ Catalaniensi festus dicitur, celebrarunt magno concursu, noua pompa, summo plausu omnium, aderat Cardinalis assistens, uterque Senatus, selectissimi qui que ciues. pendebant ornamēta literarum; græca, latina poemata: intersacra solemnia ex alumnis vñus orationem elegantem, atque factam ad pietatem excitandā, ita accommodatè pronunciauit; vt lacrymat etiam ijs extorserit, qui latine non intelligerent. tum prodiere alijs duo, qui publicè nuncuparunt iuramentum illud, quo post semestre spatium se Ecclesiæ, atque patriæ deuuent. id quoque de superiore loco explicatum sermone hispanico cœpit animos omniū. quatuor post confecta studiorum curricula remisi. si in Angliam. ex his duo theses alteras Cardinali alteras Hispalensi senatui dedicatas ipsis præsentibus ita defenderunt, vt non minus omnes in ijs admirati anglicanum ingenium, quam in pietate essent admirati voluntatem.

PRO-